

Arnaldus de Villa Nova  
De conservanda iuventute  
(Diss. Schwartz)



WARBURG



18 0146745 4



28/206 ✓  
Aus dem Institut für Geschichte der Medizin der Universität  
Leipzig. Vorstand: Geheimrat Prof. Dr. Sudhoff.

„De conservanda iuventute  
et retardanda senectute“

von Arnaldus de Villa Nova in einer Handschrift  
der Breslauer Stadtbibliothek.



---

Auszug aus der Inaugural-Dissertation zur Erlangung der  
Doktorwürde in der Medizin, Chirurgie und Geburtshilfe  
einer Hohen Medizinischen Fakultät der Universität Leipzig  
eingereicht von

JOHANN SCHWARTZ, geprüfter cand. med.



---

Gedruckt mit Genehmigung der Medizinischen Fakultät  
der Universität Leipzig 2. März 1923.

Referent: Herr Geheimer Medizinalrat Prof. Dr. Sudhoff.

---



Free copy for  
Digital Collections





Wir geben hier den ganzen Text der Abhandlung wieder. Zum Vergleiche lag nicht nur die Vulgata, sondern auch eine Pariser Ausgabe der Magnini'schen Reg. sanitatis vor. („Regimen sanitatis Magnini Mediolanensis medici famosissimi, attrebatensi episcopo directum. Insuper opusculum de phlebotomia editum a perspicacis ingenii viro magistro Reginaldo de villanova etc.“ Am Schlusse: „Impressum parisius per Haspardum Philippe etc. 1506.“) Der Vergleich hat ergeben, dass manche Teile mit der Vulgata (|\_ \_|), manche wieder mit dem obigen Pariser Druck (|\_ \_|) übereinstimmen. Es ist also wahrscheinlich, dass von „de conservanda inventute etc.“ mehrere Redaktionen vorhanden sind, d. h. Arnald das Thema mehrmals bearbeitet hat und dass die Reihenfolge derselben: 1) Pariser Druck, 2) die hier wiedergegebene Handschrift, 3) die vulgata ist.

Lib. Arnoldi de Nova Villa de senectute retardanda.

Intendo componere sermonem rei admirabilis domino meo fratri G., cuius vita deus prolonget, exponendo id quod occultum est in quibusdam libris antiquorum, videlicet iuvenem a senectute retardare & in iuventute diu retinere & senem quoquomodo ad iuventutem reducere. Et hoc per conservationem virtutum & spirituum et caloris naturalis, in suo esse & temperantia fieri potest et in ipsorum confortatione et duplicatione in eorum effectum, nam quamdiu haec tria non debilitantur, nec pili canescunt et cutis corrugatur, tamdiu homo est iuvenis, nam canicies et cutis corrugatio accidit ex debilitate caloris naturalis, declinantis ad frigiditatem et siccitatem ex quo nutrimentum corrumpitur in membris. Nam cibus pervenit ad quodlibet membrum & digeritur a calore naturali illius membri. Cum ergo debilitatur ille calor aliqua occasione, corrumpitur ille cibus et tunc accidit corrugatio illius cutis & canicies ut patet in senibus, cum sint frigidi & sicci. Sed hoc quandoque non accidit ex senectute, sed ex infirmitate & tunc dicitur accidentalis canicies violenta aut innaturalis, sicut in scabie et morfea et tunc pili albescunt in radicibus cum albedine corii. Et causa est, quia infirmitas est in cute Sed canicies aut est propter debilitatem caloris



2  
naturalis, quae exit a corpore. quia senectus infirmat et exsiccat corpus. Sed haec senectus et debilitas accidunt duobus modis, scilicet ex longo tempore, cursum naturae debilitante et hoc dicitur esse cum tempore. Et in hoc canicies incidit in infirmitatibus capillorum, quia tunc calor naturalis propter debilitatem ipsius illas partes dimittit, licet per sapientiam multotiens possit retardari, altera ex necessitatibus, id est ex laboribus superfluis & ex curis pessimis et hoc ante tempus & haec dicitur iuvenilis sive accidentalis. Et haec senectus potest ex toto auferri et qualiter auferratur aut retardetur inferius dicam.] Et quia frigiditas & siccitas dominatur in sene naturaliter, [ideo sanguis eius est paucus & virtus debilis & calor innatus debilis in digerendo cibum propterea generantur et aggregantur in corpore eius humiditatis multae] & humores cruci et in eo debilitatur spiritus triplex, scilicet vitalis, animalis et naturalis. Et dicunt medici spiritum vitalem esse in corde, naturalem in epate, animale in cerebro, sicut haec tria apud ipsos sunt membra principalia, scilicet cor, epate et cerebrum & cum in unoquoque membro suus sit spiritus ut dictum est. Dominat autem in eis debilitas caloris naturalis, eo quod corpora eorum sunt frigidiora quam ante fuerint et cum frigida & sicca sint, indigent illis quae calefaciunt et humectant calefactione & humectatione aequali, ex cibis & potibus & medicinis convenientibus et tactu & cum sint diminuti sanguine, indigent, eo quod addat in illum ex cibis & potibus et bonitate digestionis et exercitio & gaudio et eius species sunt multae, sicut aspectus rerum placidarum et ut sunt colores boni & stratus alti & vasa preciosa et de melioribus rebus cum reliquis causis sunt ea, quae faciunt ridere, laetari et reliqua, quae sunt similia his, scilicet fumigationes bonae & odores delectabiles. [Et cum virtutes corporis sunt debiles, indigent eis quae confortant ipsas, ex cibis & potibus et speciebus et exercitiis & medicinis habentibus hanc nobilem proprietatem & hoc est occultum scire. Et cum sint humiditates corruptae & humores cruci aggregati in eis, indigent his, quae extenuent et desiccant (am Rande: in aliis detrahant) superfluas humiditates et digerant humores crudos et sincerent corpus] ex medicinis nobilibus animalis et plantae, sed tantum unum istorum facit planta et animalia duo et cum sit cutis corrugata (a. R.: in alias atteruata) et inveterata indiget eis, quae innovent eam & induant eam pulchritudine iuvenili, & mundificatione & rubificatione & rubetine et hoc fit dupliciter, scilicet per detersionem cutis et purificationem sanguinis & mundificationem eius. Detergitur autem cutis, (verso 84:) cum detergitur illud quod est super eam, de-



tersione subtili & subtiliatur cutis cum abstersione levi & et hoc faciunt linimenta & et ablutiones, sicut oleum nitri (a. R. in aliis vegetis) praeparatum, ius radice sigilli virginis perparatus et succus radice aliarum herbarum perparatus, sicut draguntea, viticella & unguentum argenti & aqua radice levistici & aqua ordei. Haec omnia albificant, mundificant et humectant faciem, sed detergitur mundificatione et purificatione sanguinis multis modis, unomodo per cibaria generantia laudabilem sanguinem, sicut vinum subtile & odoriferum & cibaria laudabilem chimum generantia, sicut sont ea, quae perfecte coquantur, ut facilius et melius digerantur; quia in digestionem est radix boni sanguis generati. Alius modus, est per assumptionem rerum mundificantium sanguinem, sicut mirabolani conditi, perlae, succus fumiterrae, camphora und sicut assumptio alliarum rerum, quae humorem superfluum purgant. Et cum pili sunt cani, indiget si possibilis est, ut cadant et loco eorum renascantur nigri, deinde prohibentur ne caniant, quae omnia inferius perfecte explanabo dei auxilio. Sed inprimis ponam omnia illa, ex quibus senectus provenit. Deinde omnia, quae accelerant hominem ad senectutes & festinant. Deinde omnia, quae iuvenem retinent in iuventute et senem faciunt ad iuventutem redire. Sed incommoditas senectutis contigit ex debilitate caloris naturalis. Cuius debilitas accidit dupliciter, unomodo ex naturali cursu naturae et debilitate. 2<sup>o</sup> ex accidentibus & curis pessimis, quae accidentia et curae sunt multae, ex quibus calor naturalis debilitatur, sicut sunt ea quae minuunt spiritus & virtutes ut subita evacuatio humorum & coitus nimius & nimia flebotomia, quae si acciderint, subveniendum est eis, cum cibis & potibus multum nutrientibus et subito ut sunt iura gallinarum et ipsae gallinae edi perdices fasiani, cum longe somno et quiete & taciturnitate & cum rebus odoriferis & custodiant visum ut non videat et auditum ut non audiat displicitalia & iaceat in lecto molli et nota quod coitus nimius movet materiam ad exteriora & excidat calidum vaporem putridum, venientem ad superficiem cutis & sic facit cutem corrugari ante tempus, quare leprosis et paratis ad lepram & scabiosis omnino vitandus est, calor enim naturalis ex hoc deficit & cibus 2<sup>m</sup> quod oportet non digerit, viri tamen & mulieres coire debent tunc, cum appetunt nec repugnare. Ex flebotomia nimia accidit festina senectus & hydropisis, virtutis enim accidit destructio, stomachi, epatis et cordis delitatio. Ex negligentia tamen ipsius cum quis ea indiget, accidunt egritudines multae, scilicet apoplexia, lepra, scabies, variolae & morbili, sinocus, paralis, emoroidae, periplemonia & pleuresis. Sunt et alia, quae praeparant



et festiniant senectutem, sicut ea quae generant flegma oppillat et non permitit calorem per membra vigere: sicut sunt fructus, olera et pisces, lac, triticum coctum, pultes & potus aqua plurimae & ungi cum eis, quae sunt frigida, sicut camphora, aqua rosarum. Sed cum ego dico fructus, intellige fructus recentes, nam in fructibus recentibus est humiditas corruptibilis, ex qua humor aquosus generatur et flegmaticus quae corrumpitur in membris et generat crines canos & cutis corrugationem & flegma corruptum. Et pisces oppillant et flegma corruptum generant et putridum et in omnibus complexionibus sunt mali, nisi calidis & siccis. Et ipsi omnes mali, sed marini minus & hi, qui sunt in aquis currentibus & fluminibus petrosus. Olera autem similiter corrumpuntur in stomacho & generant flegma putridum, lac, pisces, triticum coctum et pultes, potus aquae plurimae, omnia haec putritum generant humorem. Sed tangi aut ungi rebus frigidis, facit augmentari putredinem subcute, sed valida consumunt sicut est oleum nitri et tartari vegetis: haec omnia supradicta augmentant putredinem. Sed quae obviant putrefactioni, sunt poma generata, perlae, aurum, succus (fol. 85:) crudus fumiterrae, spicarnardi, sal, cuscuthae, mirabolani conditi. ipericon et serum praecipue caprinum. Et si accidit quod generatum sit flegma putridum in corpore, subveniendum est ei cum his quae purgant flegma putridum generatum, ut pillulae de aloe loto et mastice cum alleboro nigro purgato, nam ipse purgat flegma putritum & melancholiam et convertit hominem de mala complexione ad bonam & facit acquirere bonam iuventutem. Purgatio huius rei (a. R.: flegmatis putridi) est ut evacuetur per vomitum post cibi saturitatem, ut alibi dicitur et similiter subveniendum est cum his, quae consumunt: ut dianthos, quod consumit flegma & melancholiam corpori, redardat canos & sensum corroborat et diacameron, quod digestionem confortat & flegmaticas humiditates consumit, ubicunque sint in corpore. Et zingiber consumit humilitatem generatam ex piscibus & fructibus. Et similiter kebuli conditi proprie consumunt et desicant flegmaticas superfluitates stomachi et ipsum confortant & sanguinem mundificant et ideo valent melancholicis. Et si quotidie capiatur unus, conservat iuventutem & facit redire adolescentia et retardat canicies. Primum remedium et cura huius rei est evacuatio humoris flegmatici in omni hora, cum vomitu sumpto post cibi saturitatem, semel in quolibet mense, vel cum clysteri purgante humorem talem. Et talis saturatio debet fieri, cum appetitus cibi non est & hoc est mane in prima. Et hoc est cum rebus acutis & contrariis stomacho, sicut cepis & caseo. Nam cibus



qui avide recipitur, incorporatur et non de facili per vomitum emittitur. Et vomitus proprius est ut ponatur  $\frac{3}{4}$  l. pulvis hellebori albi in IV.  $\frac{3}{4}$  vini per noctem, mane coletur & offeratur. Et hoc est clystere ut capiatur succus mercurialis, ebuli, sambuli foliorum aequaliter & parum bulliat et coletur & per clystere iniiciatur & id est secretum magnum. Et licet illa duo grana medicaminum, dicantur proptia ad hoc, non tamen est negligendum ut purgetur aliquanto per regionem inferiorem, cum rebus purgantibus flegma & melancholiam, nam melancholia facit hominem tristem & tristitia praeparat ad senectutem. Et proprium remedium ad hoc est elleborus niger praeparatus 2<sup>m</sup> quod scripsi in capitulo de medicinarum laxativarum praeparatione. Et de proprietatibus eius est per vitam meam, quod ipse mutat hominem a sua complexionem mala & facit ipsem acquirere complexionem bonam, iuvenilem et in praeparatione eius est totum secretum, quod occultaverunt sapientes. (a. R.: flos nenufaris tolit acumen ellebori nigri et sua aromaticitate tolit angustiam et destructionem virtutum, quam induceret sua malicia et diminuit suam superfluum laxationem.)

Diximus de his, quae purgant, restat ut dicamus de his, quae consumunt flegma & superfluum humorem. Res, quae consumunt superfluos humores in complexionem humida, sunt multae, sicut electuaria calida digestionem confortantia et pulvis specierum calidarum, sicut gariofili, lignum aloe, aurum, (nur in einigen belanglosen Wörtern leserliche kleine Randbemerkung) macis, galanga, lux muscatus, cubebae, zinziber. Sed melius est ut virtus harum rerum resolvatur in vino & illud summatur. Nam incorporabitur et transmutabitur per omnia membra et desiccabit humiditatem flegmaticam in omnibus membris, ex qua homo senescit et multae aegritutines accidunt & proprium ad hoc est diacameron, quia consumit flegmaticas humiditates lubiusquae sint in corpore et melancholias & digestionem confortat et sanguinem reparat. Sed dianthos consumit flegma et melancholiam in corpore & retardat canos et spiritum reparat. l Sed calidis et siccis complexionibus nocent praedicta, quia sanitatem adurunt & incendunt humores und praecipue in adustis complexionibus et in his, quae vitium calefacti epatis habent. Sed talibus conveniunt vinum maligranati, perlae, aurum, rosae rubrae et albae, cubebae, muscus, spicarnardi, parum ozimi liquiritia et parum croci, scilicet ex his pulvis fiat & ponatur in cibo, consumit enim flegma pudridum & indigestum et confortat membra omnia & cor, nec offendit complexionem calidas et subvenit stomacho defecto. Valet etiam his trifera saracenicæ, verum tamen



dixit quidam, quod non solum ex flegmate putrefacto cani proveniunt, sed etiam ex (verso 85:) colera putrefacto & quia omnis putrefactio calorem debilitat naturalem, quo corrupto seu debilitato corrumpitur cibus in membro & tunc accidit in membro corrugatio et senectus ut est videre in scabiosis quorum cutis senescit et corrugatur ex scabie, qua recedente iuvenescit et corrugatio recepit. Et ego hoc totum credo. Sed res proprie putridinem ex colera expellens est aurum praeparatum in aqua. Valet leprosis de causa calida et vinum maligranati & dragagantum, sicut quidam dicunt et sunt frigida, nec humores accendant et stomachum confortant. Et proprietas vini maligranati est, quod quocunquemodo summatur, sive in syrupo, sive in pulmento, quod vulgariter dicitur oximel, verius oxizachara simplex, vim habet extenuandi humores et eos in vomitu eiiciendi, calorem epatis extinguere et membra confortare, os stomachi, epar et cor & ideo valet cardiacis et hoc intende. Sed proprie res tam in calidis, quam in frigidis complexionibus sunt kebuli conditi, nam stomachum confortant et superfluum eius humiditatem desiccant & tamen frigidi sunt et sunt utiles melancholicis et senibus et sanguinem mundificant et clarificant, nec est aliqua medicina in hoc mundo, quae loco eorum stare possit. Si summatur quotidie unus, consumit flegma et retardat caniciem & conservat iuventutem et facit redire adolescentiam. ¶ Et carnes viperarum conservant iuventutem et adolescentiam si assiduetur eorum comestio. ¶ Sed hoc non faciunt per viam purgationis nec per viam consumptionis, sed qualiter hoc fit, in capitulo septimo sequenti plenarie dicam. Et suffumigationes congruo tempore, sicut suffumigatio, quae fit tempore frigido et calido de confectione facta ex camphora, sandalis et pauco ligno aloes cum aqua rosarum confectis. Nam istae suffumigationes aperiunt cerebri clausuram et corroborant quinque sensus & faciunt tardere caniciem, faciem clarificant et superfluum humiditatem cerebri consumunt & humiditatem subcutaneam desiccant & consumunt, ex qua cutis corrugatur et senescit & hoc operantur, quia totum humorem subcutaneum trahunt ad superficiem, deinde desiccant, post utatur balneis temperatis et sine sudore, hoc enim mundat cutem a sordicie ibi congregata & poros aperit et superfluum humiditatem desiccant. ¶ Et similiter quaedam aliae confectiones sunt communes in utraque complexione, sicut electuarium regum, quae dicitur medicina annualis, quae anno integro summi debet. Et trifera facta ex mirabolanis. Et confectio de scoria ferri. Sed melius esset, si ibi esset aurum et aliae medicinae multae, quae in libris sapientu invenivuntur.



Sed aurum et perlae in utraque complexione consumunt humorem superfluum. Sed si recipiatur pulvis harum specierum, praeter aurum et perlas <sup>aa</sup> liquiritia rosarum ad pondus omnium et resolvatur virtus earum in vino 2<sup>m</sup> quod oportet deinde bibitur hoc vino aqua mixtum in sua hora, Incorporatur & omnem humiditatem et superfluitatem totius corporis expellet et persiccabit et confortabit omnia membra inferiora & deoppillabit deoppillatione perfecta, nam deoppillatio facit currere spiritus per membra & calorem naturalem vigere in corpore. I Sed si corpus est oppillatum, calor naturalis non potest currere per membra, sed debilitatur & sic non potest consumere superfluum humiditatem putrefactam & sic ex ea perveniunt cani et cutis corrugatio & homo senescit, intende ergo in deoppillatione membrorum corporis intentione integra, cum re quae confortet et deoppillet, sicut sunt res praedictae, quae etiam epar et renes et vesicam sordicie mundabunt & non est medicina similis huic, quia virtus harum rerum, resoluta in vino non fatigabit calorem, sicut si esset cum sua substantia, nam pars terrestris impedit virtutem subtilem, quae in speciebus est & cum illo ingenio resolvitur (a. R.: virtus specierum et herbarum a substantia sua, sine deperditione, sed si alio modo resolvitur) aut summitur, pars virtutis eius depertitur, vel destruitur, sicut in decoctionibus sirupis pulveribus et electuariis, sed quod haec operatio sit vera, patet in ellaboro albo, cuius de sui natura non est provocare vomitum & tantum si uno die naturali virtus eius in vino resolvatur tota inta & id operabitur quod potest et virtus eius resoluta fecisset. In cura similiter quadam, quae sine tenta curat vulnera omnia et directe facit saniem, donec oportet, deinde sanat sanatione perfecta. Si capitur pulvis eius in sacculo et stet die uno in vino, illud vinum sumptum curat omnia vulnera & in hoc et in multis rebus aliis expertus sum tempore meo, sed antiqui sapientes occultaverunt hunc modum sublimem medicinarum et evacuerunt omnes libros artis ab hac intentione.

Quicumque vult retardare senectutem et conservare sanitatem, studeat tota intensione sua, uti rebus generantibus hominem & laudabilem sanationem clarum et spissum, aliosquem (fol. 86:) humores quia dicit A. (Avicenna?) capitulo de canicie. I Retardatur canicies dum sanguis permanet spissus, calidus, pinguis viscosus et capilli nigri. I Cum autem ad aquositatem incipit rendere sanitatis, declinant capilli ad caniciem. Sed res generantes bonum chimum sunt vinum subtile odoriferum, carnes edorum perdictum, safranorum pullorum, vitulorum castratorum & avium pervarum sicut olus spinnachia, borago, sicut sunt ea, quae operta coquantur sine aqua &



in pastillis praeparantur & assata absque iure et utatur his quae sanguinem mundificant, sicut sumptio triferre sa- racenicae & mirabolani conditi et succus fumiterrae et perlae et aurum. Et studeat medicus ut hi omnia sint cum quantitate digestionis, quia in digestionem est tota radix huius intentionis. Nam ex indigestione corrumpitur sanitas & humores quidem impuri generantur, nam cibaria, quia de sui natura generant bonos humores, si bene digerantur, generant malos humores et quae de sui natura generant malos, si bene digerantur generant bonos, vel minus malos. Igitur tota radix est in digestionem, sed bona digestio celebrabitur, si bene servabis ea, quae dicta sunt in regimine sanitatis. Et hoc est in motu & quiete et comestione et potu vini & superfluitatem expulsionem mensuram etiam observare debemus et cetera loca, ubi homines manere debent temperate, consuetudines observare et cetera, quae in ea parte dicuntur, observari. Dictum est, quod in digestionem est radix. Nam virtus digestiva operatur in tribus locis in corpore humano, scilicet in stomacho, epate et membris et non ipsa sola, sed etiam aliae in corpore operantur, scilicet retentiva, appetitiva et expulsiva. Sed quamvis dicantur multae virtutis, una tantum sola est, unde Johannes Damascenus dicit, virtus sive virtutes naturales varia nomina habentes, una eadem substantia est, sed 2<sup>m</sup> diversa officia, in diversis membris diversis vocabulis nuncubatur, sed non omnis res confortans primam digestivam confortat secundam et tertiam. Et non distinguitur a sapientibus, vel raro, quae sint res confortantes primam digestivam et quae secundam, nisi quia in illis frequenta, indifferenter loquuntur de re confortante digestivam virtutem, sed difficilius confortatur virtus digestiva tertia quam alia. Ex cuius errore difficiles nascuntur in curatione aegritudines subcutaneae ut impetigines et canicies et cutis corrugationes ante tempus, quae accidunt ex cibo corrupto in membris, quia ad quodlibet membrum pervenit cibus & ille digeritur a calore naturali quae est in quodlibet membro. Cum igitur debilitatur ille calor et ille virtus, corrumpitur ille cibus et tunc accidit membro ille occasio seu infirmitas et non invenimus res, quae errores tertiae digestivae removeant de proprietate, nec est 2<sup>a</sup>, nisi assiduatio comestionis viperarum praeparatarum, 2<sup>m</sup> quod dicta in eius capitulo. Et non solum hoc facit, sed omnes egritudines perueniendes ex tali errore curat. Sed inunctiones quaedam de proprietate confortant 3<sup>am</sup> digestivam, sicut unguentum de succo tassi barbassi celidoniae, calamenti, thimi, centrigalli et ex pinguetudine porci & aliae inunctiones, quae de sui proprietate confortant 3<sup>am</sup> digestivam, sicut est succus radicis lapacii acuti, qui de proprietate facit hoc, sed



prima digestio a multis rebus confortatur, 2a a paucis, 3a vero a paucissimis.

[Cutis innovatur ex continua innovatione, serpentis nam cutis excoriatur & confortatur, innovatur autem ex potatione aquae solis purissimi, si avide recipitur in potu et non solum hoc facit, sed allopiciam maniam & diariam curat et transmutat corpus humanum.] sincerat et innovat ipsum ut alibi dicta, sed viperæ nisi praeparentur ut expedit, non valent, nam eorum caro prae-parata ut decet: confortat virtutes ex sui proprietate. Et virtus rerum animalium et herbarum variatur secundam varietatem locorum, est ergo aqua praedicta res, quae supradictum miraculum facit, quae a quattuor non corrumpitur elementis & et cum humanae (Verso 86:) complexione conveniens, nec calefacit, nec infrigidat, nec humectat, nec desiccatur, [immo est temperata temperamento excedente omnes res, in huius modi temperantia & perennitate, quia temperata est in quarto gradu & ideo habet partes (a. R.: alias gradus) cuiuslibet qualitatis, nec est aliqua res, quae assimiletur huic rei, nec stet loco eius. Habet etiam proprietatem subveniendi stomacho defecto & timorosos facit audaces, cardiacos confordat, valet contra melancholiam, atquem tyriam et lepram curat, calorem naturalem temperat et virtus eius in sua manifestatur substantia, quia in eo est claritas, ideo clarificat et in eo est puritas, ideo purificat & in eo est temperantia, ideo multum temperat, eius temperamentum transit super omnem rem, in eo est perennitas, ideo conservat corpus humanum & in eo est assimilatio humanae complexionis, ideo incorporatur si praeparetur ut oportet] & in eius praeparatione est totum secretum, quod sapientes occultaverunt. Et est ut de illo quidem est 24 (a. R.: in perfectu de minera) gradum recipiatur & comburre ipsum in furno combustionis deinde lava ipsum bene et terrae, donec sit pulvis ut appareat in radio solis ut atomi. Deinde solve in aquam et congela ipsum in vaso, quod sit in altera vaso, sub fimo calido posido, hac aqua utere ut scis. (a. R.: Tangit modum faciendi aurum potabile, incomplete tamen: tu vero ingenio tuo utere ut finem consequaris.) [Scias autem quod omne, quod movet sanguinem et spiritum ad cutem, inducit eam pulchritudine puerili & mundificatione et rubedine & adiuvat ipsam omne illud, quod abstergit abstersione levi, ponens cutem subtiliorem & detergit ab eo illud, quod mortuum est, detersione subtili & subtiliatur cutis abstersione levi] & hoc faciunt linimenta et ab-lutiones ut superius dixi. Dicitur etiam si bos senex macer, impinguatur prius cum herba tenerrima in autumno, deinde conservatur eius pinguedo cum duriori et grossiori cibo, duobus vel pluribus mensibus, carnes eius



iuniores et teneriores fient, carnibus iuvenis quae longo tempore steterit pinguis. Idem sic homo taliter praeparatur, ut per sudorem cutis esset macra et vacua, deinde pascatur cibis generantibus, bonos chimos, aquiret iuventutem sicut quidam sapiens transmutavit carnes leprosi in assere perforato minutissime faciebat eum (a. R.: in aliis deguttari & evacuari) sudare et evadere. Item calor naturalis sani hominis est temperatae complexionis & fumus eius temperatus temperat super omnem rem, 2<sup>m</sup> assimilationem quam habet cum homine nam gratus est & suavis tactui, item si vis resolvere solem in aquam claram, solvo prius cum sale artistico (?) & pone instrumento aceti & fimi sicut sunt et solvetur sine sale in aquam claram. De innovatione capillorum ut cani cadant et nigri renascantur in eodem loco.

¶ Dicitur in libris Hermetis, quod est quaedam planta, quae dicitur vachara et est similis maioranae, cuius folia celestis coloris similia foliis viticellae. Haec autem egriditur de terra foliis nuda et per unumquemque diem lunarem folium ei nascitur, ¶ transactis autem 15 (?) diebus, auferruntur ab ea folia ita, quod unaquaquam die unum folium aufertur residuorum et remanet nuda prout prius erat. Et haec herba nascitur in montibus & ripis fluviorum et habet folia rotunda ut denarius et eius lignum est rubeum et flos citrini coloris et odor eius est muscus & habet lac croco simile. Et dicitur quod quicumque accipit de hac planta ad pondus unius lentis cum tantumdem de spica et cluserit in vasae per tres dies & ex illo bibat per aliquod dies ad pondus trium danichi, ¶ pili eius cani cadent et loco alborum renascentur nigri et si pro cibo cum lacte vaccino per tres dies detur de illo modicum, vel accipitur, post iuvenescit. ¶ Deinde post inveni in principe Aboali Avicenna rescribens in quodam libro suo scribens (verso 86 ganz unten, Randnachtrag: de herba lunaria sic inveni. Quod si de ipsius pulvere pondus unius carobiae acceperis & cum aequo pondere de spica miscueris & in vino posueris et de ipso usqua ad VII dies biberis pondus trium carobiarum, omnes albi pili de corpore tuo cadent et loco eorum pili nigri nascentur & infra hoc dies VII sit dieta tua in lacte vaccae dulci.) ¶ Et de illis que experti sunt illi, qui ante nos fuerunt et experta sunt tempore nostro, est potari draganti rubei et albalakaie pondus drachmae unius ipsem depillat canos et facit loco canorum nasci nigros, verum tamen non tolerat illud, nisi qui habet forte corpus et humidum. ¶ Et oportet, quod administretur post ipsum quod mundificet pulmonem et humectat ipsum. Et inveni in libro animalium Aristotelis, quod lotio cum oleo et aqua prodest ad canos & facit retardare caniciem. Hoc inveni



in libris sapientum et non sum expertus in hac intentione. Canicies autem alia naturalis, alia innaturalis, naturalis incipit (fol. 87:) ab extremitatibus capillorum, quia calor naturalis propter debilitatem prius partes illas dammittit. Innaturalis vero incipit in radicibus capillorum.

Claritas animae vel refectio, vigorem viribus tribuit & naturam excitat et adiuvat, actionem fortificat, gaudere facit, redinet iuventutem et conservat sanitatem: sanguinem clarificat et ipsam in venis currere facit, morbus expellit et crism accelerat. Sed anima reficitur et letatur dupliciter. Unomodo ex accidentibus eius, alio modo ex virtute medicinali. Ex accidentibus eius est vestimentorum indui varietate & pulcherimo ornatu ut huius inspectu animus dilatetur & confortetur virtus in splendore vitae. Item ex auditu instrumentorum musicalium dulciter resonantium, auribus audientium, suavissimae cantilena, libros delectabiles audire et legere aut loquelam alicuius delectabilem intelligere & facies pulchras inspicere et res alias omnino delectabiles, sicut aspectus pulchrarum rerum coeli et terrae, stellae et aquae, colores boni et stratus altos, vasa praeciosa et quae bonam faciunt animam. Et ex melioribus est sedere cum iuenculis pulcherrimis, decenter indutis & cum eis loqui, pro ut res postulat et requirit & aliis ludis honestis et catholicis uti cum eis circumire. Item de inimicis suis consequi victoriam famae sua complexione honore, gloriam, gaudium & laetitiam et rationabilitatem accipere et habere. Et super omnia est virtutes confortare ex odoriferis suffumigationibus et unguentis odoriferis, temporibus tamen congruis uti, nam odor est cibus animae. Nam suffumigatio aperit cerebri opilationem seu clausionem et quandoque spiritus corroborat & tardare facit caniciem et faciem clarificat. Ex rebus quoque medicinalibus reficitur anima, sicut succo boraginis cum vino potato. Similiter perlae aurum, mirabolani conditi, borrago missa in vino data in potu, laetitiam generat, cubebae ocimum etc. De compositis; Laetitia galeni diamusculus, dianthos, omnem animam hilarem & refectam tribuit suis viribus vigorem. Sed ei caloris naturalis est in corde & cum excedit terminos suos in frigidat aut calefacit & tunc calor naturalis eo quod exit a suo termino, diminuitur et debilitatur, sic homo senescit. Quae autem minuunt calorem naturalem sunt haec omnia, quae generant flegma pudridum in stomacho. Omnia quae minuunt spiritum et virtutes, omnia quae actu in frigidant aut tactu, omnia quae digestionem corrumpunt, omnis aegritudo corporis, omnis immunditia corporis omnia molestia accida animae, quae sunt haec: ira, tristitia, invidia, furor, omnis fetor et aspectus malus. Et totum malum quod faciunt ista accidentia, faci-



unt nisi mediante spiritu. Et eo quod calor naturalis dis-  
temperatur et illud quidam, quod venit meliori forma est  
ex quo contemperat omnia illa et multa alia, quae mi-  
nuunt calorem naturalem et debilitant ipsum ex cuius  
debilitate provenit senectus et cutis corrugatio. Inquiramus  
ergo, quae retinent ipsum calorem cordi temperatum,  
ne suos excedat terminos, quia quamdiu temperatus est  
perseverans, sanitas conservatur et iuventus. Et hoc est  
quod dicit Aristoteles ad Alexandrum: Cave tibi o Alex-  
ander & custodi hoc praeceptum pretiosum cum custodia,  
calorem naturalem serva quia quamdiu calor naturalis  
temperatus perseveraverit, humor aliquis mensuram non  
excedit & ita sanus et incolumnis omni tempore perman-  
nebis. Quattuor ergo sunt res quae in hoc negotio po-  
tissime operantur, quarum duae sunt, quae calefaciunt  
calefactione aequali et humectant humectatione aequali,  
aliae vero duae sunt res temperatae temperamento mag-  
no, excedente omnem rem in temperantia. Illa vero,  
quae calefaciunt calefactione et humectatione aequali,  
corpora senum, et calorem eorum naturalem declinantem  
ad frigiditatem et siccitatem est vinum temperatae com-  
mixtionis novum, aut vetus, calor cuius sit albus, decli-  
nans ad rubedinem et substantia eius sit clara et lucida,  
odor suavis et sapor suavis et mediocris non ponticus.  
[Perla similiter temperata est, ideo temperat calorem na-  
turalem et ipsum fortificat & ideo valet cardiacis et cordis  
tremori & sanguinem cordis proprie clarificat, unde Aris-  
toteles vidi quosdam homines eliquare gemmas ex quo  
liquore corpora lota sunt et albae morfeae plenae inde  
sunt curatae. Hae duae (verso 87:) res confortant calo-  
rem naturalem et debilitatum restaurant & conservant  
ipsum et regunt ipsum in suo temperamento, nec cursum  
suae naturae excedant.] Aliae vero duae res sunt sol  
(a. R. aurum in pulvere, quod inventur in aquis arenosis,  
iuxta magnos montes, minerarum auri, quod non tetigit  
ignis. Sicut est arena Fagi fluminis medionalis) de minera  
et calor naturalis sani hominis bonae et temperatae com-  
plexionis. Iste duae res temperatae excedunt omnem  
temperantiam, sed calor naturalis sani hominis est tem-  
peratae complexionis et fumus eius suavis est et tempe-  
ratus & ipse tactus testatur quia suavissimis est et gra-  
tus est tactui, nam calor naturalis sani hominis tempera-  
tae complexionis est res admirabilis, nam fumus ab eo  
dissolutus de necessitate est ut sibi assimiletur, sicut fu-  
mus patientium lepram, scabiem, ptisim, oculorum morbos,  
febres pestilentiales, pustulas, nam isti morbi transeunt ab  
uno in alium propter similitudinem corporum, nam infir-  
mitas bruti animalis non transit in animal rationale, prop-  
ter dissimilitudinem, sed in animal simile; sicut iam vidi



in morbo bovum & aliorum animalium et a simili dico de fumo sani quidquid nam a qualibet re dissolvitur, necesse est ut ei assimiletur & hoc dicit Galenus in aphorismis. Et calor iuvenis et fortior et accutior, sed signa temperatae complexionis in toto corpore sunt, quod color est compositus ex albedine et rubedine. Capilli vero flavi ad rubedinem et crispitudinem tendentes & caro est temperata in qualitate et quantitate et quantum declinat ab hac complexione, tantum declinat a sua virtute et bonitate, probitate et proprietate & res illa quae huic assimilatur, nam cum ipsa res est temperata, temperat et quando distemperata, distemperat et quando sana, sanat & quando infirma est, infirmat et disponit corpus humanum cum quo coniungitur secundam suam dispositionem propter suam similitudinem quam habet cum eo, sicut est in morbis transeuntibus ut supra dixi, nam Galenus dicit, quod quicquid de qualibet re dissolvitur, necesse est ut ei assimiletur ut est videre de morbis transeuntibus de uno in alterum sicut est oculorum infirmitas et scabies & quaedam aliae et in morbis pestilentialibus. Nec est res in mundo, quae habeat proprietatem huius rei, quia non solum corpora humana reddit minus corruptibilia cum quibus proportionatur, sed etiam corpora plantarum retardata putrefactione. Et quia res illa raro habetur nec invenitur, nec potest commode inveniri nec haberi. Ideo usi sunt loco eius sapientes lapide minerali et animali, idest auro et argento, & sapientes assimilaverunt res illas calori naturali. Et quod calor naturalis sanae adolescentiae est temperatae complexionis et fumus eius temperatus et suavis est & illud tactus testatur, quoniam suavissimus et gratus est tactui et fumus iuventutis. Et multi sapientes scripserunt ¶ proprietates huius rei in libris eorum. Cum vero res illa similatur calori naturali sani hominis, facit operationes bonas cum similatur calori naturali sanae adolescentiae temperatae complexionis facit operationes sublimes, ¶ nam haec res differt ab illis, quae in principio huius capituli scripta sunt. Nam illae principaliter calefaciunt et humectant corpus secundario calorem naturalem, sed illa eius principaliter calorem naturalem, sed illa eius principaliter calorem naturalem secundario corpus, ¶ nam proprietas huius rei est calorem naturalem senum et seniorum declinantem ad frigiditatem et siccitatem reducere ad caliditatem et humiditatem naturalem temperatam ¶ sine aliquo nocumento. Et haec est propria medicina senum et fumus iuventutis et pueri, quia sanitatem omni aetati conservat et corruptas complexionem rectificat & ¶ multi sapientes locuti sunt de re, quae illi rei assimilatur, sed illam tacuerunt nec continuo offenderent creatorem suum, sed de alia re quae huic assimilatur locuti sunt: ¶ O deus, si auderem dicere



proprietalem caloris naturalis sanorum adolescentum temperatum complexionis, tunc esset apertum secretum occultum. Nam hic calor iuvat paraliticos, restaurat calorem naturalem depertitum, confortat ipsum et conservat & facit ipsum vigere in omnibus membris et est medicamen senum & fumus iuventutis. Et propter hanc similitudinem usi sunt sapientes lapide animali et solis minera nec est res, quae calori naturali assimiletur et ste loco eius, nisi illae duae cum sint praeparetae. Non solum calor naturalis reddit corpora humana in corruptilia & senum cum quibus proportionatur, sed est corpora plantarum incorruptibilia minus redit, sicut est vigere in locis domorum inhabitabilium, cum citius corrumpantur quam habitabilia. Et vermes serici a calore uberum iuvenis mulieris vivificantur. Et nota quod humores aggregati in senibus non debent extrahi cum velocitate propter paucitatem spirituum, sed debent cum eis purgari humores frigidi. Et cavendum est ne colera in eis purgetur. Dixit Aristoteles: Aurum & argentum principaliter non est administrandum, quoniam coleram rubeam purgant sed propria ipsum sicut scis, scilicet reducendo in aquam potabilem, purissimam, hoc est incorruptibilem. Et nota similiter, quod corpus solutum in aquam quae dicitur perennis propterea conge- latione congelat spirituum fugitum et laudetur creatur omnium, per infinita saecula, quae suis servis indignis sapientiam tribuit. Amen.

Explicit liber senectutis retardandae et iuventutis conservandae vitae philosophorum, editus ab Arnaldo de Villa Nova pro recuperanda senectute.

---

## LEBENS LAUF.

Ich, Johann Schwartz bin am 17. Juli 1899 in Szeged/Ungarn als Sohn des Manô Schwartz geboren. Meine Schulen habe ich daselbst absolvirt. Abitur im Herbst 1916, von da ab bis zum Wintersemester 1919 an der Budapester Universität immatriku- liert gewesen, nachher je ein Semester in München und Jena, sodann vier Semester in Leipzig. Das Staatsexamen habe ich im Dezember 1922 in Leipzig bestanden. — Während des Welt- krieges war ich zwei Jahre eingezogen.

Zum Schlusse möchte ich nicht versäumen Herrn Geheim- rat Sudhoff für die lebenswürdige Unterstützung bei meiner Arbeit meinen wärmsten Dank auszusprechen.